

## Querela pedis

Denique cum mense Iunio praeterito iterum itineribus in montibus frui inciperem, chirurgus me monuit ne laetitia capta curam pedis obliviscerer: iunctura anglica "listen to your foot" me adhortatus est. Ecce id quod pes meus dixit:

*"Quo usque tandem abutere patientia mea? Quam etiam diu te voluptatibus montium dabis? Nihilne illa calamitas anno praeterito, nihil vaticinationes funestae medicorum, nihil vultus severissimus illius chirurgi te moverunt? Profecto cupiditate caeca salutem meam iterum periclitari audes?"*

*Recognosce tandem mecum quid mense Ianuario actum sit: salutem meam neglegens contra consilium chirurgi te exercitiis corporis dedisti quoad dolore aucto iterum medicum petere coacta es: eum paene frustra laborem sectionis suscepisse non te pudet?"*

*Quod ille te severissime vituperavit plausi; quod tandem me diligenter curas gavisus sum; cum denique cautione maxima itinera brevissima suscepis acquievi: sed nunc, paucis mensibus post, me totam diem ambulare, ascendere plus mille passus coges? Utinam tandem illam audaciam effrenatam comprimas, utinam coerceas illam cupiditatem amentem!"*

*Te moneo ne obliviscaris quantos labores ille chirurgus suscepit ut iterum ambulare posses: me neglegens illo male mereris. Te oro et obsecro: mihi parce, ne oculis apertis iterum in perniciem incurras!"*

Conscientia excruciatam pedem tumidum spectavi. Diebus proximis in ora lacus cuiusdam apricata sum ut pes quiescere posset. Duos post dies pes mihi ignovit.